

(III.)

NEOVIDENSIS

Nro 36. (*Neovidensis* 1805. Nro 83.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter,
ac mortuos.*

Epistola scripta Friderico Comiti de Nostitz
ad campos Elysios

Ex mundo superiore.

Elysium -- Meum. -- Die Martis 5. Nov. 1805. (Neov. 15. Od.)

Nullæ adhuc officiosæ relationes prodive-
runt de inchoatis bellicis operationibus.
Quod hætenus accidit, pertinet ad transi-
tum Gallici exercitus per Danubium, & ul-
tiorum progressum Bavariam versus.

Vicinia ad Donaverdam nota est ex
præteritis bellis. Est illa late patens territo-
rium Martis. Exigua urbs Hochstadium in-
ter Donaverdam situm, & Dillingam celebre
est in historia. A. 1704 victi sunt Cæsarei
ab Electore Baviaræ, sed die 13. Augusti
eodem anno gravissimum intercessit prælium
inter Cæsareos, & Anglos, contra Bavaros,
& Gallos, quo tempore Anglicus Dux Marl-
borough Mareschallum Tallard cum 12 mil-
libus selectissimorum virorum cepit. Ad hanc

viſtoriam plurimum contulit mons, ita dictus
Scheibenberg.

Memoria harum rerum non caret utili-
tate. Hodiernus politicus status partim pro-
pter fœdera, partim propter conjunctionem
exercituum videtur magnam similitudinem
habere cum positione anni 1704. Jactura,
& obtentum deinde lucrum in his duabus
pugnis potest belliducibus esse documento,
ut commissos errores emendent, & quod
viſtoriam procuravit, in rem suam vertant.

Interim fervente ad Danubium bello,
nova rerum facies apparet in septentrione.
Videlicet Russi occuparunt Svecicam Pome-
raniam, uti hoc ex sequente articulo Ham-
burgensium ephemeridum clarum est.

Stralsunda 4. Octobris. Hodie comperi-
mus, 30 naves cum russicis copiis appulisse
ad insulam Rugiam; quæ quia partim in na-
vibus bellicis, partim in celocibus advenere,
paratæ jam stabant naves, quæ illis cras
obviam navigaturæ sunt.

Hodie jam etiã navis attulit russicos
officiales. Dicuntur autem legiones stativa
habituræ Gryphiswaldæ, Bardi, Volgasti;
Stralsundam præter duces generales, pro qui-
bus jam hospitia indicta sunt, nullæ venient.

Numerus Svecicarum copiarum præter
militiam Pomeranicam efficit modo sex mil-
lia armatorum.

Aliud Stralsunda de 4. Octobris. Russicæ
bellicæ, & vectoriæ naves, quæ ad nostros
portus accessere, superant numerum quadra-

gesimum. Portum autem Gryphisvaldensem intrarunt 7 naves cum equitatu.

Excensio militum crastino die sumet initium, sed non instituetur pone nostrum munimentum. De sustentatione eorum abunde prospectum est, & secundum certum pretium determinata. Quamdiu vero apud nos moraturi sint, vel ubi castra posituri, incertum est.

Svecicus Generalis Cederström ad nos delatus est, sed fertur propediem in Sveciam reversurus.

Stralsunda 5. Octobris. Hodie littus attigerunt russicæ copiæ, eapropter occupatissimi sunt omnes, ut possint excendere. Sunt autem viri veterani, robusti, & valentes.

Adventus Russorum in svecicam Pomeraniam videtur alium habere finem, quam ut tantum occupet hanc provinciam. Scimus enim ex publicis rumoribus, ibidem etiam Svecos a duobus fere mensibus magno numero fuisse congregatos, licet huic ditioni nullus immineat hostis. Ex tabulis geographicis patet posse Stralsunda proficisci legiones per Ducatum Megalopolitanum, & Episcopatum Osnabrugensem usque Hollandiam, quin neutrale territorium Borussicum contingatur. Forte cum hac operatione conjungatur Anglica expeditio 50 millium bellatorum, ut facta excensione unitis viribus impetum faciant in Hollandiam? Eventus docebit, quid lateat in hac conjectura.

Sed memoratu dignum est, Anglorum naves, quamvis illi imperium maris teneant, eorumque commercium pericula subire. Quae de re sequentia accepimus Londino de 5. Octobris: Fama fert Collegio rei navalis significatum esse die 27 præteriti mensis a classe Ruperfortana in mari Brestano impetu facto in naves mercatorias ex India orientali sub præsidio bellicæ navis *Calcutta* venientes, 6, vel 7, earum captas fuisse; Sollicitudine fuit repletum Londinum, ne aliæ etiam de subsequentibus trecentis in manus hostium devenerint.

Quo audito collegium rei navalis illico dimisit naves ad exquirendam classem Ruperfortanam, verum usque hodie nihil est de ea relatum.

Quadraginta navigia oppugnationi desertivura parata sunt, quæ tentandæ a Sir Sidney Smith expeditioni adjicientur.

A classe, quæ portum Gaditanum obsidet, sumus certiores redditi, Admiralem Stirling cum 5 navibus primæ magnitudinis exmissum fuisse ad exquirendam gallicam Ruperfortanam classem, sed jam re infecta rediisse. In hunc finem etiam navalis Dux Collingwood omnes suas celoces dimisit, ast per integrum mensem nihil comperit.

Heri discessit hinc Regius publicus nuntius cum scriptis Jarmouthum, ut inde in navigio cursus publici transeat Gothenburgum, et tandem terra properet Petropolim. Videtur gravissimi momenti res deportasse, cum

illi armata Regia navis se comitem debuerit
adjungere.

Cæterum videtur bellum protendi in lon-
gum tempus; minimum tales sunt dispositio-
nes, quæ hoc ipsum indicant.

Quidam gallicus scriptor temporibus per-
turbatæ Republicæ asseruit, quemadmodum
corpus, ita etiam animam certis morbis, &
contagioni esse obnoxiam, quare futurum,
ut furor seditionum totum, qua late patet,
orbem circumvagetur. Cui unquam veni set
in mentem, ut hic spiritus barbaros Algiriën-
ses invadat? invasit, testantur hoc gallicæ
ephemerides de 10. Octobris:

Horribilia facta tandem, forte ad breve
tempus, finem imposuerunt motibus, quos
nos vidimus, & sub quibus multi perierunt.
Fortunæ adscribendum est, tractatum Hiero-
nymi Bonaparte feliciter successisse, huncque
juvenem virum in periculosa statione, in qua
versabatur, tantam operam impendisse. Gra-
vissima seditio fervebat inter barbaros mili-
tes, quibus se turbulenta plebs associavit, ut
impediat discessum mancipiorum. Vix a por-
tu solverant, observatum est navigium ex
parte occidentali urbis Algeriæ. Navigium
hoc erat Anglicum in excubiis, sed visæ sunt
adhuc aliæ hujus nationis naves ex monti-
bus, in quibus excubitores vigilant. Istud
navigium Anglicum tota die obsidebat por-
tum, at vesperi evanuit. Adventus, & mora
hujus navigii videbatur in rabiem vertisse mi-
lites, videntes sibi prædam eripi. Prima Sep-

tembris erat dies omnium maxime terribilis. Seditio cæpit in contuberniis militum, qui totam pererrabant urbem, minantes direptionem rerum, & homicidia.

Paulopost irruit militia in palatium, trucidavit ducem, ejusque primarium ministrum. Novus Princeps, nomine Achmet, creatus est, cui eadem die consueta promissio fidei præstita est. Ita sensim motus furentium compositi sunt, gubernium firmum redditum, tractatus cum Gallia confirmati, Novus Dux jure jurando promisit se pacem conservaturum. Quamdiu tamen hæc quies duratura sit, norunt superi.

B I O G R A P H I A.

De Nostitz, et Rhineck (Fridericus S. R. I. Comes) Aurei velleris eques, Cæsareo - Regius actualis intimus Consiliarius, Camerarius, Campi Mareschallus, unius Dimachorum legionis Proprietarius, Præfectus prætoriorum satellitum, & Consilii bellici Præses. Natus est A. 1727 vitæ militari se addixit A. 1745 in legione Luchesianiana cataphractorum, ubi gradatim ad dignitates scandebat. A. 1766 creatus est generalis excubiarum magister; A. 1771 Pro - Mareschallus; A. 1785 Generalis equitatus; A. 1796 die 12. Maji Campi Mareschallus, & Consilii bellici Præses; at hoc eodem anno 19. Novembris vivere desiit. Vixit sub pluribus Imperantibus, quo-

tum omnium fiduciam est promeritus, singulariter enim erat addictus Domui Austriacæ, intaminata fide, & indefessa opera fungebatur diversis suis muneribus, sed etiam a suis civibus magni fiebat. Amor patriæ summus, accuratio in implendo officio, et fere nimium studium bene faciendi in occulto erant virtutes quibus ornabatur. Pro multiplicibus suis meritis nonnulla etiam præmia reportavit, ad quæ pertinet etiam illud, quod ei celeberrimus virorum Sonnenfels præstitit, primis a morte ejus diebus honori ejus posuit dignissimum monumentum. *Vide Skizze des Hofkriegsraths - Præsidenten, Feldmarschalls Gr. v. Nostitz, Vienn 1796, bei Camesina. 4 Blätter in 8vo. Cum effigie Comitis Nostitz titulo impressa.*

In eadem hac Officina Belnayana sequens, præter complures alios, liber venalis prostat.

Joannis (P. Fr.) Stimulus Compunctionis et soliloquia, Editio novissima, cæteris emendatior. Accedit brevis vitæ Auctoris epilogus, cura, & studio Fr. Ildephonsi a S. Aloysio ejusdem Ord. in Etruria. Denique R. P. Bouhours Cogitationes Christianæ pro singulis mensis diebus interprete G. A. Belnay, 8. 1805. 45 xr.

Hertzeg Piripionak tündér története, Wierland után irta Magyar Földijeinek mulattására Fellegváry Agoston. 8. 1804. 36 xr.

Epistolæ Procerum Regni Hungariæ, quas Georgius Pray collegit, in 4-to 1 fl. 45 xr. Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a' tapasztalatlan Ifjúság' hasznára. 1804. in 8. 1 fl. 45 xr. Posta papírora 3 fl. Fényes papírosra 6 fl. 40 kr.

Gazdagsági oktatás arról, hogy miképpen kell és lebet a' Német és Spanyol Lóherét Magyar országban legjobb moddal és legnagyobb haszonnal természetni, és mind a' kettőnek a magvát bőséggel szaporítani. Posonyban 1805. 8 vo 10 xr.

Tavaszi Virágok. 1805-re. Szedte B. I. Posonyban 1805. 8 vo 18 kr.

Atala, vagy két Indus' szerezme a' Luizianai Pufzákön. Kötve 45 kr. Posta papírofra 2 fl. Fényes papírofra 4 fl.

Okos Gyermekek nevelés példája, a' köz-nép hasznára. Mellyben rövideden előadatik, miképpen kell a' Gyermekeket születések napjától fogva, mind testi, mind erköltsi tulajdonságaikra nézve hasznosann és okosann nevelni. Falusi Mihály által. 8. 1805. 48 kr.

Egymással-való barátságos beszélgetés, mellyet eszve-szedett, és a' főbb engedelemből közre bocsátott Sz. Benedek' rendén lévő Ph. Hollósi Egyed. Második meg jobbittatott ki-adás. 8. 1805. 48 kr.

Gubernath, Institutiones Linguae & Litteraturæ Hungaricæ cum Phæseologia, & Syntaxi ornata. 1803. 8. Tomi II. 2 fl. in charta scriptoria 3 fl.

Nitsch, Gedichte. 2 Theile. 12. 1 fl. 15 fr.